

~~K.H.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

V. 125. —

SIGNAT. CCCXIII.

H 8.

3

Vater, Christian.

INSTITUTIONVM
MEDICARVM
PARS QVARTA
HYGIENE
SVCCINCTIS APHORISMIS
COMPREHENSA
ET
IN VSVM STUDIOSE JVVENTVTIS
EXPLICATA.

VITEMBERGAE,
ANNO MDCC XXIII.

Ex OFFICINA AVGVSTI KOBERSTEINII.



HYGIEIA
SACRA APOLLONIS
IN VENITIIS
MEDICARIA
PARS GAVATA

INSITVTIONVM MEDICARVM
PARS QUARTA

H Y G I E N E,

H. E.

ARS SALVTARIS ET INFALLIBILIS,
SANITATEM HOMINIS AD SENECTVTEM
INTEGRAM CONSERVANDI.



Tsi quidem nihil praestantius, nihilque utilius et iucundius nobis in hac vita, DEI munere, datum esse, quam sanitatem, quilibet facile intelligit; paucitamen reperiuntur, qui thesauri tam pretiosi debitam, ea, quae par erat, industria et sollicitudine, rationem et curam habent, aut, quae sanitati conducunt, eligere, quae vero nocere possunt et solent, in tempore avertere discant. Atque haec ratio est, quare adeo multi morbis tam variis corripiuntur, imo, antequam fere aegrotare se sentiunt, per mortem inopinatam abripiuntur, vietaque istum terminum, quem alias per naturam assequi poterant, non attingant. Eum in finem partem quandam specialem Medicinae, *hygienen* dictam, Fundatores Artis nostrae sapienter constituerunt, in qua separatim et ex professo, quomodo sanitas adhuc integra, mediante sola Diaeta, i. e. usu sex rerum non naturalium, ita dicta-

A 2 rum,

rum, (e quibus corpus humanum non quidem constat, tamen conservatur) docetur. Haec igitur diaeta, qua prudentia institui et dirigi debeat, nunc videbimus.

CAP. I.

DE
DIAETA
AD SANITATEM CONSERVANDAM
NECESSARIA IN GENERE.

THES. I.

EA omnino voluntatis Divinae, imo et charitatis Christianae, quae a se ipsa incipit, prima lex est, ut quilibet hominum sanitatem suam, tam pretiosum thesaurum, Dei munere gratis acceptum, omni cura et industria, tanquam bonus oeconomus, conservare studeat. Ita enim ab animantibus brutis et multis, nihil intelligentibus, fieri videmus, quod, quae ad sustentationem suam necessaria habent, prosequantur, ea vero, quae ipsis nocitura videntur, declinare conentur: Quanto magis hominem, ratione praeditum, id decere putemus: *Non minor est virtus, sanitatem adhuc praesentem conservare, quam labefactatam & amissam restituere.*

THES. II. Quandoquidem vero quid salubre, aut insalubre, vel noxiū sanitati hominum sit, ob ingenitum hominum diversitatem in genere definiri nequeat, ideoque quilibet naturam, temperamentum et constitutionem suam nosse, aut a medico addiscere debet, ut in casu necessitatis suus ipse medicus esse possit, et intelligere, quid eligere, vel fugere debeat? an e. g. aer frigidus, vel calidus, victus humectans, vel exsiccans,

cans, motus fortior, vel moderatior, somnus longus, vel brevis conducant? quo etiam tempore, ordine, et modo singulis, quibus ad vitam bene ducendam ege-
mus, uti expediat.

THES. III. Ante omnia ergo observandum, quod omne nimium, quamvis per se optimum, naturae et sanitati nostrae sit inimicum; monente iam tum Hippocrate II. apb. L1. In corpore enim nostro, tanquam machina divina hydraulico pneumatica, a Creatore nostro omnipo-tentissimo primitus facta, nihil impetuose, nihil tumultuarie, sed omnia *natura ratiōne nati* *eūḡn̄os̄ūn̄* fieri debebant. In naturali etiam statu omnes digestiones, secre-tiones, nutritiones, augmentationes, transmutationes, et multiplicationes, non nisi elegantissima harmonia, or-dine et modo peraguntur, ut omne excessivum, sive quantitate, sive qualitate, et modo tale, motus illos harmonicos turbet, et sic necessario sanitatem maxime laedat; Econtrario, quae sensim, successive, et paulatim, decenterque fiunt, iuvant.

THES. IV. Ideo quoque omnes mutationes subitaneae minus, tute et valde periculose sunt: Eodem enim modo harmoniam et symmetriam omnium actionum vita-lium animaliumque perturbant, interrumpunt, modo fortiores, aut debiliores et irregulares efficiunt; Ita sola mutatio aeris subitanea et frequens, nullo etiam habi-to respectu sive ad caliditatem, vel frigiditatem, hu-miditatem vel siccitatem, universae naturae, quae sal-tum non amat, est inimica et destructiva; multo magis, si ab uno contrario ad alterum transitus contingit.

THES. V. Hinc etiam *longo tempore confusa*, licet non adeo bona, in diaeta non simul et semel, sed lente et success-ve solum mutare vel omittere convenit. Quoniam con-

6 DE DIAETA AD SANITATEM CONSERVANDAM

svetudo est altera natura. Per crebrum enim usum alimentorum, exercitationum, aliarumque rerum, corpus iisdem adaptatur, et ita disponitur, ut nullam exinde laesionem sentiat, modo non in excessu, vel defectu peccetur. Hinc, qui a teneris laboribus gravioribus, cibis durioribus, frigori, aliisque adsveti sunt, eadem facilius ferunt, a contrariis vero manifeste laeduntur.

THES. VI. Notanter vero monuimus, ne diutius adsveta subito & semel mutantur aut omittantur: Saepe enim homines, rebus etiam pessimis, absurdis, ac valedudini minus proficiis, ita sensim assvescunt, ut ad tempus quidem aliquod nihil mali exinde sentiant, sed nihil sentientes multa tamen mala, et maturam senectam, mortemque ipsam sibi fabricent.

THES. VII. Optimam tamen sanitatis conservandae regulam quilibet prudens, suaque naturae gnarus, desumere potest ex iuvantibus et nocentibus; quando scilicet prudenter observat, quid natura ipsius ferat, quid ferre recuset? Siquidem alimenta, motiones, vigiliae, aliaeque res naturales, quae uni pro sunt, alteri nocent, ob diversas, uti antea jam dictum, naturas, temperamenta, aetas, consuetudines, aliasque circumstantias.

THES. VIII. Notabile et hoc est, quod res multis alias noxiae, ab aliis cum prudentia quidem et modice usurpatae, minus noceant; Id quod rursus a diversa istorum utentium natura, constitutione, consuetudine, et modo utendi dependet. Hoc sensu etiam recte dicitur, quod sanis omnia, sive alimenta, sive alia, ad diaetam pertinentia, sint sana; modo recte utentes inveniant.

THES. IX. Imo ex his fluit, quod homo sanus et vegetus, legibus diaeteticis nimis rigorosis et scholasticis se adstringere hanc opus habeat, quin potius variis vitae generibus,

ribus, si opus, sese assuescere possit. Ita enim plerorumque hominum conditio fert, ut non uno eodemque loco, in uno eodemque aere vivere, iisdem alimentis, potulentis, aliisque frui possint. Ea intentione latinus noster Hippocrates saepe prudenter monuit, *ut homo sanus, qui bene valet, et suae spontis est, nullis se legibus diaeteticis obligare necesse habeat, quin potius varium vitae genus sine noxa eligere possit; modo ruri esse, modo in urbe, saepius in agro, imo navigare, venari, et sic porro.*

THES. X. Hisque ita praecognitis patet, quo jure dicatur, quod *medice vivere sit optime vivere*; scilicet si vita non secundum regulas cerebrinas, scholasticas, sed secundum rationem, usum, et experientiam rite instituitur, ut etiam nunc ex sequentibus capitibus patebit.

CAP. II.

DE

AERIS REGIMINE AD TVENDAM
VALETUDINEM MAXIME NE-
CESSARIO.

THES. I.

PRimum omnino locum inter res illas, ad sanitatem Aeris regit vitamque conservandam necessarias, merito aer obtinet, cuius tanta hic est necessitas, ut ne per momentum quidem sine eodem, salva esse queat. Reliquis tamen ad vitae sustentationem non minus necessariis, nimirum cibo et potu, somno, motu et quiete, excretionibus suetis, ad aliquot dies, si necessitas postulat, carere possumus. Ubiunque enim locorum sumus, ille non solum immediate nos ambit, sed continuo per inspirationem et transpirationem ad intima usque penetrat,

netrat, humoribus omnibus sese miscit, consequenter pro sua temperie et qualitate, eosdem quoque alterat, modo resolvit, modo condensat, calefacit, vel refrigerat, exsiccat vel humectat. Paucis: *Aer vitae et morborum autor est: Qualis aer, tales necessario sunt constitutiones hominum.*

Ratione
qualitatum,

THES. II. In universum quidem sanitati conducit aer purus et serenus, non nimis calidus, neque frigidus, humidus vel siccus, sed temperatus, nullisque qualitatibus et effluviis noxiis, malignis refertus. Talis enim omnibus temperamentis, aetatibus et constitutionibus, non solum sanis, sed etiam morbosis et valetudinariis prodest, motum sangvinis et reliquorum humorum in harmonia sua conservando, digestiones et secretiones egregie promovendo; consequenter alacritatem et vigorem in omnibus actionibus conservando. Tamen quoque sciendum, quod, pro ingenti hominum diversitate, aliis aer plus minus calidus, vel frigidus, humidus, vel siccus, tenuior, vel densior conduceat; Quod quidem multi distingvere sibi applicare nesciunt, a Medicis tamen, harum peritis, facile addiscere possunt. Ab omnibus vero, quantum fieri potest, fugiendus est aer nimis crassus, nebulosus, squalidus, impurus, multis effluviis heterogeneis, fermentabilibus, putridis, contagiosis repletus: quippe quo mediante eadem necessario impuritates et inquinamenta ad intima corporis deferuntur, cum sangvine et reliquis humoribus miscentur, unde nihil, nisi variasturbas, mutationes et corruptiones in iisdem oriri, quilibet facile intelligit.

Ratione an-
ni mutatio-
num.

THES. III. Atque haec potissimum observanda sunt circa mutationes anni solennes, ubi insigne plane totius atmosphaerae mutationes contingunt, non omnibus aequo

aeque salutares. Quo fine etiam Hippocrates L. de Aere et Locis monet, ut, qui artem medicam recte assequi velit, ante omnia temporum anni, et ventorum rationem habeat, quantum scilicet quodlibet eorum ad sanitatem conservandam vel destruendam faciat. Et Sanctorius: Plures, inquit, sanitatem, quam fieri solet, ad senectutem extremam conservarent, si modo corpora sua quatuor illis anni temporibus in aequali harmonia, et pondere servarent. Dantur siquidem temperamenta, quorum alia ad aestatem, alia ad hyemem, alia aliis temporibus melius valent; quod nisi observatur, et secundum eorum indolem diaeta instituitur, necessario valetudo periclitatur. Ita veris in Temporis his terris, si naturae ordinem servat, nec ab aliis tempestibus accidentalibus turbatur, ea quidem indoles et bonitas est, ut calore suo moderato humores, per hyemale frigus inspissatos, sensim rursus resolvat, pores totius corporis constrictos aperiat, consequenter omnes digestiones, et secretiones promoveat. Quo respectu etiam haec anni pars apud nos salutaris habetur, sub qua corpora, alias lana, non facile laeduntur, quin potius ab impuritatibus, quas antea collegerunt, ope naturae et artis liberantur. Ideo quoque hoc tempore medicationes solennes, mediantibus thermis, acidulis, aliisque, prudenter instituuntur a cacoehymicis, et felicius succedunt. Nulla facile aegritudine vexabitur hoc tempore, modo corpus purum habuerit.

THES. IV. Ita quoque aestate, ubi sol diutius supra horizontem nostrum versatur, mediantibus radiis suis, successive crescentibus, et reflexis, aerem hunc magis magisque calefacit, effluvia e globo terraquo, rursus aperto, largius exhalantia, discutit, motus vitales, digestiones, nutritiones et augmentationes, uti in omnibus

B

viventi-

viventibus, vegetabilibus et animalibus, ita in specie in homine promovet, eoque ipso sanitatem nostram mirifice conservat; si quidem naturaliter se habet, nec per frequentes tempestates turbetur, et immutetur. Vnde etiam hoc tempore plerique hominum bene valent, rarius aegrotant, et morbi chronicī conquiscent, et facilis curantur. Nihilosecius tamen, quoniam, uti antea iam monuimus, homines pro ingenti temperamentorum diversitate, alii ad hyemem, vel alia tempora, melius valent, ideoque non minus hoc tempore prudenti regimine opus est, ut quilibet, tanquam sui ipsius medicus domesticus, diligenter observet, quantum caloris ipsi profit, vel noceat, et secundum eam reliqua diaetae adminicula, sibi proficia, dirigat. Idque eo magis, quando, uti saepe fit, aestas nimis calida et squalida, humida vel sicca ingruit, imo contagia varia excitat, et promovet, semina morbosa, alias latentia, excitat, indeque varios admodum morbos, diarrhoeas, dysenterias, variolas, morbillos, aliaque mille mala inducit. Intelligentibus igitur leges sanitatem conservandi scriptae sunt, quas qui negligit, negligentiae suae poenas luit.

Autumnī.

THESES. V. Non minori prudentia opus est, quando autumnus redit, ubi declinante rursus sole, aer frigidior et densior factus, humores, per aestatis fervorem nimium saepe resolutos, successive iterum condensat, poros totius corporis constringit, et sic calorem sanguinis ad interiora magis cogit, eoque ipso tonum ventriculi, et reliquorum viscerum insigniter corroborat; unde sanguinei, cholericī, calidores, hoc tempore melius, quam aestate, valent, si caetera quoque paria fuerint. Sed tamen etiam hoc tempore variae mutatio-

nes

nes atmosphaerae a causis extraordinariis contingunt, ita, ut modo nimis tepidus, et humidus, modo frigidus nimirum et siccus reddatur autumnus, cui deinde ab usus fructuum, tum temporis maxime luxuriantium, accedit, ex quo fit, quod autumnus, in his regionibus adeo male audiat, et morbifer autumnus vocetur, cum tamen per se quoque innoxius, et sanitati proficuus sit. Per accidens ergo nocet cacoehymicis, phlegmaticis, scorbuticis, melancholicis, hecticis, valetudinariis, minus vero sanis, et diaetam observantibus. *Nulla aegritudine vexaberis autumno, si superveniens frigus te bene vestitum invenierit, et caetera paria fuerint.*

THES. VI. Eodem fere modo se res habet cum tempore et aere hyemali, ubi propter declinationem solis maiorem, et radios eius debiliores, humores nostri magis magisque condensantur, pori corporis totius et vasorum angustiores redduntur, ex quo, modo nullus excessus, vel abusus interveniat, non minus calor internus eorum augetur, et digestiones optime promoveduntur; uti gentes boreales, prae caeteris vivaciores, in se experiuntur. *Hyeme ventres sunt calidiores, et melius digerunt.* Hippocr. I. Apb. XV. XVIII. Conducit proinde hyems magis iuvenibus, et viris sanguineis, robustis, quorum vigor, et calor intestinus, a frigore non facile suffocatur, quin potius augetur; e contrario vero nocet temperaturis frigidioribus, phlegmaticis, serosis, scorbuticis, calorem ipsorum, alias debilem, suffocando, digestiones et secretiones inhibendo, unde multi in illis morbi oriuntur, eoque magis, si iam tum semina morborum fovent, nec debito diaetae regimine utuntur.

Ratione mu-
tationum
aliarum.

THES. VII. Sed non solum quatuor illis solennibus anni temporibus, quin etiam singulis saepe mensibus, imo septimanis et diebus aer, et cum eo temperamenta nostra mutantur. Quemadmodum tribus veris partibus, nimirum vere novo, adaucto, et praecipitante; ita etiam reliquis anni temporibus, et temporum istorum partibus, mensibus, et diebus, novae mutationes aeris fiunt, eaeque saepe, admodum contrariae, unde fieri non potest, quin tot quoque temperamentorum innovaciones et alterationes immediate contingant; consequenter plurimi morbi, etiam in optime sanis, generentur, nisi prudenti regimine avertantur. Quod tamen multi scientes intelligere nolunt, qui, grassantibus licet morbis communibus, popularibus, et sporadicis, causam solum in alimentis, aliisque rebus obviis quaerunt, neglecta prorsus aeris correctione et regimine; ex quo etiam fit, quod multi mortis rapina fiant, antequam eius causa primaria et genuina reperitur. *Vulgaris tantum videt, quae ante pedes sunt, sed prudentioribus tela praevisa minus nocent.*

Ratione
ventorum
diversorum.

TH. VIII. Huc etiam pertinent venti, aeris nempe commotiones fortiores et impetuofae, per se quidem utilissimae, et quasi scopae, quibus atmosphaera nostra ab effluviis impuris, heterogeneis et noxiis ventilatur, et mundificatur, ut communis etiam proverbio dicatur: *Melius est, quemcunque ventum, quam nullum habere.* Quoniam vero tales, propter impetum et motum rapidissimum, eo intimius per omnia corporis spiracula penetrant, cum omnibus humoribus intime se miscent, et consequenter effluvia sua, minus saepe temperata, salina, sulphurea, fermentabilia, putrida, contagiosa secum ducunt, quae fane moderandi, temperandi, et quocunque modo arcendi, rursus magna circumspectio requiritur. Hinc venti

venti orientales nimis tenues, calidi et sicci, mediantibus locis et habitaculis magis temperatis et humidis; e contrario occidentales humidi et frigidi, locis altioribus, radiis solaribus magis expositis, nec non suffumigiis exsiccantibus; pariter australes nimis humidi et tepidi, itidem suffumigiis et alimentis exsiccantibus; boreales vero nimis sicci et frigidi, rebus humectantibus et calefacentibus moderantur et corriguntur.

THES. IX. Praeterea quoque regionum, locorum Ratione re-
et aquarum, ubi habitamus, rationem habere necesse est. gionum et
Non enim omnium eadem est conditio, natura et tem- locorum.
peratura. Terræ et loca alia orienti, vel occidenti,
meridionali, vel septentrionali plagae magis patent, in-
deque ventis eorum, natura et qualitatibus diversis, li-
berum transitum concedunt, ex quo, uti modo vidi-
mus, ingentes atmosphaerae mutationes, diversis tem-
peraturis plus minus salubres, vel noxiae fiant, ne-
cessse est. Pariter terrae aliae, plus minus siccae, vel
humidae, profundae, vel montosae, mineralibus variis re-
fertae reperiuntur, e quibus rursus variae admodum ex-
halationes, atmosphæram, et consequenter temperatu-
ram hinc minum varie immutantes & disponentes oriuntur.
Imo aquae ipsae, quibus in vita humana carere nemo po-
test, aliae plus minus purae, tenues vel crassae, graves vel
leves et molles, palustres, e locis profundis vel monta-
nis scaturientes, stagnantes, vel praeterfluentes, salinae,
nitrosæ, vitriolicae, aluminosæ, vel sulphureæ, metalli-
caæ, aliisque diversissimis effluviis, turgidae reperiun-
tut. Quarum omnium nisi prudens selectus, corre-
ctio, purificatio, et applicatio habeatur, sanitas tot di-
versorum hominum conservari plane nequit. Quae qui-
dem omnia imprimit Medicis et Physicis prudenter ob-
servan-

servanda, ut, cum in locum et regionem, sibi alias incognitam, pervenerint, pericula tamen timenda, quae et quomodo avertenda et corrigenda sint, iudicare possint, non minima artis suae gloria, siue existimatio ne. *Adeo magni momenti res est, aeris mutationes rite indicare, distingvvere, et quae ex illis uniuscuiusque sanitati et vitae proficia vel noxia esse solent, praevidere posse.*

CAP. III.

DE
ALIMENTORVM REGIMINE
NECESSARIO.

THES. I.

Ciborum regimenter. **N**unc tamen quoque dispiciendum, quo quantoque vieti, quo tempore et modo quilibet, ad valetudinem tuendam non minus necessario, uti debeat. Quoniam enim alimenta in succum et sanguinem, ipsiusque corporis nostri substantiam immutantur, fieri non potest, quin pro sua indole et usu etiam sanitati ipsius proficiat, vel noceant; Cumque hominum tam diversorum temperamenta, texturae, habitudines, et idiosyncrasiae infinitis fere modis varient, quilibet etiam facile iudicare potest, quod unus idemque cibus, etiam si optimus, tamen non omnibus subiectis aequa conueniat. Ipsa ratio dictitat, quod temperaturis siccioribus conducant magis alimenta humectantia, frigidis calefacentia, calidis refrigerantia, langventibus confortantia, et sic porro. Supra iam notavimus commune proverbium: quod *sani omnia sunt sana*; id quod tamen cum grano salis accipendum, quando scilicet debita quantitate, tempore, modo et loco, adhibentur. Omnino cibus, etiam durus, et difficilis coctionis, item acidus, austerus, flatu-

Ratione qualitatum.

flatulentus, in parca quidem quantitate, cum appetitu forti, motu, aut consuetudine sumptus, minus nocet, imo facilius digeritur, quam mollissimus et optimus, cum nausea scilicet, et praeter consuetudinem, vel in maiori, quam par est, quantitate, nec non minus decenti modo et loco usurpatus. Alias tamen et in genere omnino cibi facilis digestionis et boni succi, in debita quantitate, tempore, et modo sumpti, prae caeteris sanitati magis conducunt. Nihil vero sanitati magis nocet, quam si, Simplex cibus est optimus cibus. quae prava est consuetudo, cibi plane contrarii, acidi, austeri, falsi, saccharati, melliti, fermentabiles, flatulenti, adstringentes, et laxantes, uno eodemque tempore, prandio vel coena, assumuntur, iisque in larga satis quantitate, ubi sane fieri non potest, quin inaequalis eorum digestio, et inter eam varii motus peregrini, indeque chymus, chylus, et sanguis vitiosus generetur. Qualis enim cibus, talis chylus, qualis chylus, talis sanguis, qualis sanguis, talis sanitas. Quibus autem hae admonitiones inutiles et supervacaneae videntur, quando iisdem cibis toto die utuntur, vel potius abutuntur, illi in fine experientur, cuius doni fuerint, quando eo graviores intemperantiae suae poenas, a morborum variorum insultibus luunt.

THES. II. Proinde etiam alia requisita et imprimis Ratione debita quantitas, ciborum assumendorum, observanda, Quantitatis. eaque secundum temperamentorum, aetatum, vitae generis, aliarumque circumstantiarum diversitatem, mensuranda & determinanda. Ita notum est, quod hemali tempore, ventres hominum sanorum calidores sint, propter transpirationem tum magis moderatam, indeque melius et maiorem cibi quantitatem digerant, quam aestate et aliis temporibus; si quidem caetera paria

ria fuerint. Alias optima sanitatis regula est, *nunquam cibis nimium satiari, et impigrum esse ad labores seu motiones corporis.* Natura siquidem paucis est contenta. Ita enim cibi, licet duri et difficilis digestio, melius subiguntur, et in succum sanguinemque convertuntur. Hoc artificio tenerioris constitutionis homines, imo valetudinarii, vitam suam ad senectutem usque extendere possunt: *Hoc artificio senectus quaesita invatur, inquit Seneca, et senectutem non vitae faecem, sed temperantiae et prudentiae florem esse, conognoscimus.* Summa: videndum semper, quantum cuique pro habitu corporis, temperiei, virium et quoque vitae generis conveniat. *Si inventa fuerit ciborum mensura, et laborum ad uniuscuiusque naturam, numerus, ita, ut nullibi excessus vel defectus fiat, inventa quoque est sanitas.*

Ratione
temporis,
quo cibus
sumendus.

THES. III. Porro multum quoque refert, quo tempore cibi sumuntur, quod quidem optimum est, quo esurimus. Non opus est, ut certum adeo et definitum cibandi tempus observetur, modo ventriculus a prioribus cibis liberatus fuerit, nec aliae causae appetitus turbent, vel impedian. Perinde quoque est, an cibi semel, bis, vel plures de die sumantur, modo ventriculus, subigendis ipsis, satis idoneus observetur, nec ulla exinde incommoditates sentiantur. Neque adeo peccant illi, qui semel tantum in die cibum capiunt, quorum corpus alias succi plenum, viribus pollens, et qui vitam magis sedentariam degunt; tantum caveant, ne una vice nimiam copiam ingerant, ventriculum plus iusto repleant, & onerent; ex quo necessario pravae digestiones, cardialgia, flatus, tormina ventris, aliae mala sequuntur. Communiter tamen bis, quam semel in die edere praestat, imprimis pueris et senibus, illis

illis quidem, quoniam largius transpirant, et maiori augmentatione opus habent; unde etiam difficultius interdiu ferre possunt, quam senes: His vero ob caloris debilitatem, viscerumque flaccitatem, quae impediunt, quo minus cibum, simul et semel largiter sumptum, subigere queant. Ita prandium largius sumptum, nihil nocet, quando coena antecedens parcior fuerit, et contra: Quando etiam per officii rationem, aliaque impedimenta, prandii commoditas et mora non conceditur, nihil impedit, quin etiam coena largior fiat, praecipue, si ventriculus bene constitutus, motio aliqua corporis adhuc conceditur, et somnus in tantum differtur.

THESS. IV. Non minus modus in cibando observatur Et modi necesse est, ne cibi nimio impetu, tumultuarie, et minus cibandi. masticati ingerantur. Dentibus igitur incisoris et molaribus nos instruxit benevolia natura, quibus alimenta, imprimis duriora et tenaciora, masticari et comminui debent. Qui bene masticat, bene digerit, qui bene digerit, et egerit, ille est sanus; qui vero masticationem negligit, ille animam suam odit, uti Arabes dicebant. Non de nihilo quoque est, quando robore ventriculi pollentes, cibos firmos et solidos in prandio vel coena praemittunt, non quod ille cellulis gaudeat, quibus cibi diversi recipiantur et digerantur, sed quoniam hac ratione maior mora, iisdem digerendis necessaria, conceditur. Quemadmodum etiam sicciores, et alvi obstructionibus obnoxii, sanitati suae magis consulunt, quando iuscula, aliaque humectantia et emollientia praemittunt, quo ipso non solum fibrarum siccitas, et stricatura corrigitur, sed quoque efficitur, ut cibi duriores in tanta copia, et tam avide non ingerantur, simul emollientur, et facilius digerantur.

gerantur. Tanti momenti est, etiam in modo cibandi, modum servare posse.

Ratione
condimen-
torum.

THESS. V. Sed plurimum quoque refert, quibus condimentis cibi praeparentur. Universale et optimum condimentum, uti notum, est sal commune, quoniam propter naturam optime temperatam, ex alcalico et a-cido permixtam, partes viscosas ciborum egregie afftergit, attenuat, adeoque digestionem non solum adiuvat, sed etiam secretiones promovet, putredini resistit, aliosque multos usus præstat; eo tamen abutendum non est; in quo quidem nimis multi peccant, indeque cachexiam nimis falsam, et morbos exinde quamplurimos, scorbutum, calculum, podagram, aliaque milie mala, sibi contrahunt. Eodem modo se res habet cum aliis condimentis aromaticis, pipere, zingibere, caryophyllis, cinnamomo, cardamomo, croco, mace, item faccharo, aceto, succo citri, limonum, et multis aliis, quae omnia, si debita quantitate, tempore et modo legitimo, pro diversitate temperamentorum, & constitutionum, in usum trahuntur, omnino calorem et tonum ventriculi debiliorem corrigunt, digestiones ciborum, etiam duriorum, egregie promovent, flatus, et exinde oriunda tormenta impediunt, atque sic quam maxime ad sanitatem conservandam faciunt, si caetera quoque paria fuerint.

CAP. IV. DE POTVS REGIMINE.

Potus regi-
men maxi-
me quoque
necessarium.

THESS. I.
E Aedem porro cautelae observanda quoque veniunt circa potuum genera, non tam ad nutritionem, quam

quam alimentorum dilutionem, sitisque mitigationem maxime necessariae. Vnde horum quoque natura et qualitates accurate pernoscendae sunt, ut quae cujusvis temperamento, aetati et conditioni; nec non qua mensura, quo tempore et ordine cuivis, ad sanitatem tueri dam convenient, judicari possit. Et quoniam duo potissimum eorum genera dantur, nimirum Aqua simplex et variis modis preparata, nec non vina varia, ideoque an et quibus singula conducant, nunc videbimus.

THES. II. Diximus, potum non tam ad nutritio-
nem, quam sitis extinctionem, deinde quoque ad cibo-
rum meliorem dilutionem, digestionem, et distributio-
nem requiri; quo fine certe aqua simplex omnium opti-
ma videtur, ea tamen tenuis, pura, et levis, nullis parti-
bus noxiis inquinata. Talis enim, propter partium sua-
rum tenuitatem, flexilitatem et lubricitatem omnium
optime cibos, alias in tenerrimis capillaribus, varieque
contextis et complicatis vasculis, facile stagnantes pro-
movet, nullas faeces deponit, imo potius aliunde col-
lectas, salia peregrina acida, austera, aliaque diluit, ab-
stergit, siccitatem corrigit, omnibusque succis vitalibus
et animalibus debitam suam consistentiam largitur. Vnde
etiam primaevi nostri, usque ad tempora Noae, nihil nisi
aquam biberunt, eaque plerisque adhuc gentibus fami-
liarem potum praebet. Aquae ergo potus competit
temperaturis calidis et siccis, etiam scorbuticis et choleri-
cis, viscerum tamen robore gaudentibus. Observamus to-
to die in Praxi, tales exinde melius valere, illorum ca-
tharrros falsos, lippitudines, dolores arthriticos, passi-
ones colicas cessare, imo appetitum augeri et omnes
actiones vigere; nisi alia obstant.

C 2

THES.

An aquae
frigidae vel
calidae po-
tus sanitati
conducatur.

THES. III. Quando disputatur, utrum aquae calidae vel frigidae potus sanitati magis conducat, nihil certi definiri potest, et debet, nisi prius distinctio inter temperamenta, aetates, constitutiones et consuetudines hominum fiat, quarum omnino aliae aquam frigidam, aliae potius tepidam, aut tantum non calidam, sed temperatam requirunt, et ab iisdem iuvantur. Ita notum est, quod bruta omnia aqua frigida delecentur, absque dispendio sanitatis. *Omne animal potum frigidum sequitur, praeter hominem.* Et quis nescit, unicum saepe haustum potus frigidi ardenter sifientes plus recreare, quam decem calidos. Paucis: Aqua simplex pura & levis, etiamsi frigida, nihil nocet, quin potius prodest temperaturis calidis et fiscis, cholericis, scorbuticis, tamen robore ventriculi, et reliquorum viscerum gaudentibus; tantum ut modus servetur, nec circumstantiae aliud svadeant. Imo dantur temperamenta adeo fervida, scorbutica, biliosa, quae ab uno, vel altero haustulo Theae calidae statim inquietudines, phlogosae, haemorrhagias, aliaque mala patiuntur, quibus ergo satius est, ut ab eiusmodi potu abstineant, et aquam potius frigidam elijant. Sed tamen illi quoque maxime peccant, et sanitati suae vim inferunt, qui aquas non solum, sed etiam alias potus genera nimis gelida, imo mediante glacie et nive eo magis refrigerata, gulae tantum satisfaciendae gratia, iniurgitant, quo ipso sane calorem vitalem suffocant, ventriculi vicinorumque viscerum tonum et motum destruunt, humores omnes condensant, fibras et poros vasorum, imprimis nervorum, constringunt, consequenter debitas digestiones et secretiones ubivis impediunt, et exinde mille mala sibi contrahunt.

THES.

THES. IV. E contrario tamen dantur quoque multi, qui ab omni potu frigido offenduntur, a tepido vero et calido manifeste recreantur. Calida enim aqua non minus, imo melius humores viscidos resolvit, abstergit, salia peregrina diluit, & per vias excretorias egregie promover. Patet id ex infuso illo Theae et Caffe calido a Japonensibus et Chinensibus primum invento, nunc vero inter nostrates etiam maxime usitato, utilissimo et salutari, modo non abusus tam in quantitate, quam tempore et modo utendi fieret. Folia enim herbae istius Theae gaudent sale quodam volatili nonnihil amaricante, optime tamen temperato, ac proinde palatui adeo grato, quod cum aqua calida extractum et dilutum, eo melius abstergit, et impedit, quo minus tonus viscerum exinde debilitetur, quin potius adiuvetur. Fructus vero ille Caffee, per tostionem correctus, et aquae infusus, gratiam praeterea qualitatem subadstringentem, et tonum ventriculi roborantem largitur. Quorum loco quidem etiam plantas indigenas, habemus, quae eodem modo usurpatae, exoticarum istarum vires et virtutes supplent, si non superant.

THES. V. Quoniam tamen, ob tam diversa hominum temperamenta, viscerumque constitutiones, singulis potus adeo tenuis et simplex, ad vires et robur eorum conservandum, nondum sufficere videbatur, ideo industria hominum adhuc alia articia, aquas alias pro diversitate locorum et regionum, adeo diversas, et saepe noxias, corrigendi, et ad tutiorem earum usum praeparandi, excogitavit. E quorum numero sunt cerevisiae variae, instar ptyسانae ex hordeo, tritico, avena, et similibus tostis coctae et compositae. Atque tales non solum, ut aqua simplex, siccitatem corrigunt, salia diluunt,

diluunt, abstergunt, et sic sitim egregie temperant, sed propter partes gelatinosas nutritivas, a frumentis acceptas, simul nutrimentum praebent; propter amaras vero et balsamicas lupuli additi partes, ventriculi viscerumque reliquorum calorem et tonum roborant.

Vini potus.

THES. VI. Sed tamen omnium potulentorum vires et gratiam superat vinum bonaे notae, utpote quod elementis suis salinis et sulphureis optime temperatis, et cum aqueis largiter dilutis, praे omnibus aliis potulentis sitim non solum egregie lenit, sed etiam calorem et robur omnium viscerum confortat, digestiones optime promovet, spiritus vitales animalesque recreat, atque sic omnem quasi paginam absolvit. Quoniam tamen vina quoque ratione terrarum, ubi nascuntur, nec non temporum et annorum, quibus maturantur et perficiuntur, imo et ratione præparationum, inter se quam maxime variant, nec omnia omnibus temperaturis aequa conducent, ideoque inter ea rursus selectus habendus est, quae magis pura, et cuiusvis naturae magis proficia videntur. Prae caeteris vina Mosellana, Rhenana, et Hungarica, eaque selectiora, laudem merentur, quoniam propter partes tenuiores, optime digestas facile per vasā et viscera transeunt, caput non gravant, digestiones et secretiones optime promovent; Cavendum autem a vino minus defaecato, recenti, austero, acido, multo tartaro, et faecibus aliis referto. Hae enim sunt semina, e quibus arthritides, podagra, calculi, ulcera, aliaque mille malia oriuntur.

Spirituum
vinosorum
potus an
conveniat.

THES. VII. Pertinent huc etiam liquores spirituosi, e vino ipso, vel etiam frumentis destillati; Qui quidem præparati, nec multis heterogeneis adulterati, propter fal

sal volatile oleosum et balsamicum, paucō phlegmate dilutum, in parca quantitate et debito tempore inter alimenta, et cum illis sumpti, calorem et tonum ventriculi, omniumque viscerum egregie confortant, digestiones eorum promovent, cruditates et flatus exinde relictas, corrigunt, atque sic tormenta ventris, passiones colicas, diarrhoeas, aliaque mala abarcent: *Sed abusus borum liquorum efficit, ut Aqua vitae, sic dictae, saepius aquae mortis fiant.*

THES. VIII. Quod vero quantitatem in specie attinet, qua potulenta ista omnia, ne sanitati noceant, afflu-
mi debeant, ea rursus ratione temperamentorum, aeta-
tum, vitae generum, aliarumque circumstantiarum, de-
terminari et mensurari debet; Calidioribus enim et sic-
cioribus, nec non motionibus et exercitiis corporis de-
ditis, competit omnino potus largior, et contra. In ge-
nere etiam observandum, quod liberalior non nihil po-
tus sanitati minus noceat, imo magis profit, digestio-
nem et distributionem ciborum eo melius promoven-
do; Vnde eruditi, et vitam sedentariam degentes, sae-
pius in defectu magis, quam excessu peccare, observan-
tur. *Omne nimium, non solum in excessu, sed etiam in de-
fectu commissum, naturae nostrae est inimicum, et vertitur in
vitium. Medium tenuere beati: Sobrietas et temperantia eſt
mater sanitatis: Qui temperantia ſe munierit, morbis non
facile patet.*

THES. IX. Tempus vero bibendi definit ipsa si-
tis, modo non immediate ante somnum, vel inter dor-
miendum, et citra necessitatem, potus quicunque largi-
ter ingeratur; Utpote quo tonus ventriculi et reliquo-
rum viscerum nimium relaxatur, digestiones omnes
turbantur, consequenter cruditates aquosae cumula-
tur,

Cautelae
quoad quan-
titatem in
potu

tur, vasa, quibus vehuntur, nimium dilatantur, aut plante rumpuntur, unde cachexiae aquosae, hydrops, apoplexia, aliaque mala infallibiliter sequuntur.

CAP. V.

DE
MOTVS ET QVIETIS REGIMINE.

THES. I.

Regiminis
huius sum-
ma necessi-
tas et utili-
tas.

Sed tamen homo edens et bibens, sanus esse non potest, nisi etiam laboret, i. e. corpus debito tempore et modo moveat, monet Hippocrates noster Lib. I. de diæta. Cibi enim et potus non possunt nutritre, nisi prius satis digerantur, et a faciebus liberantur, deinde in succum et sanguinem convertuntur, et cum eodem per universum corpus, debito modo et tempore, distribuantur. Hae autem digestiones, depurationes et distributiones omnium optime promovent motiones corporis, utpote quibus, modo decenter instituantur, calor totius corporis, maxime excitatur, et conservatur, tonus et robur vasorum viscerumque augetur, in quo unice sanitas et vita nostra consistit. *Abstinentia et labore multi morbi curantur.* inquit Hippocr. I. c. Cui consentit Sanctorius in medicina sua statica: *Si homines, inquiens, debito labore uterentur, carere possent multis medicis et medicamentis.*

Prodest
omnibus ho-
minibus.

THES. II. Conducit ergo omnibus hominibus, junioribus et senioribus: Infantes recens nati, motionibus in utero materno iam adsveti, delectantur et recreantur motu mediantibus cunis et similibus; pueri et iuvenes lusibus et exercitiis variis, in hunc finem salutariter inventis; Adultis vero labores et operationes aliae, mediantibus venationibus, peregrinationibus, aliisque ratione.

tionibus debentur; Imo et senibus maxime profundunt motiones, quoniam alias calor nativus in iis languescere incipit, et hoc adiumento egregie adiuvatur. *Corporis exercitium est senectutis praesidium*, dicebant olim sapientes.

THES. III. Videndum tamen, et prudenter iudicandum, qualis quantusque motus cuique, pro ratione aetatis, temperamenti, virium, vitae generis, aliarumque circumstantiarum, conducat. Fortiores omnino motus convenientur adultioribus, robustis, humoribus tamen crassis, viscidis, indeque oriundis obstructionibus vasorum et viscerum, obnoxii; Moderatores vero debentur pueris, nec non temperaturis calidis, siccis, itemque corporibus plethoricis et laxioribus, in quibus per motus corporis et animi fortiores, facile sanguinis incalescentia, ebullitio, eruptio extra limites, imo vasorum ipsorum ruptura, haemorrhagiae enormes, febres, inflammations, aliaque mala concitantur; Senes vero ipse langor senilis monet, quantum eorum vires valent, et quantum ferre recusent. Sic moderata, uti alias in omnibus, ita in hoc potissimum genere durant.

THES. IV. Imprimis quoque videndum, ut motiones tempore convenienti instituantur: Et quidem fortiores utilius sunt, antequam cibi sumuntur; ita enim reliquiae ciborum et cruditatum eo melius resolvuntur, viae aperiuntur, ventriculus et reliqua viscera ad meliore receptionem novi alimenti praeparantur; modo caveatur, ne corpus et humores nimium incalescant, aut statim ab incandescencia cibus potusque frigidus sumantur, quin potius mora aliqua et quies concedatur, quo usque omnia tranquilla in corpore sentiantur. Nihil tamen obest, imo prodest, quando etiam post cibum sumptum motio quaedam instituatur, ea tamen et

D

moderata

moderatior et blandior, ne chylificationem et reliquas digestiones turbet, quin potius promoveat; unde etiam nata est illa regula diaetetica: *Post coenam stabis, aut passus mille meabis.*

Et debito modo.

THES. V. Quod vero modum illarum motionum attinet, ille rursus omnibus aequalis praescribi nequit, modo finis et scopus motionum impetretur; Quibusdam enim sufficiunt deambulationes, cum extensione laterum; aliis alia exercitia, ratione loci, temporis, vitae generis, consuetudinis, aliarumque circumstan-tiarum. Pilae lusus veteribus adeo commodus et salubris semper visus fuit, ut Galenus etiam integrum de eo librum scripserit. Ita equitatio moderata, et vechie in curru, prae caeteris fere omnibus prodest, quatenus per eiusmodi succussionses, toties repetitas, non solum calor totius corporis excitatur, et fovetur, sed imprimis viscera abdominis digestoria a facibus et flatibus, ibidem facile restitantibus, optime liberantur. Observandum tamen et hoc, ut omnia eiusmodi corporis exercitia non uno et nimio statim impetu, sed suc-cessive, secundum virium et consuetudinis rationes in-stituantur, quas ipse usus et experientia docet.

*Quietis usus
et necessi-
tas.*

THES. VI. Atque his omnibus praecognitis, qui-libet etiam facile iudicare poterit, non minus quietem, quam motionem corporis, ad sanitatis conservationem requiri; Quantum vero rursus unicuique ratione aeta-tis, temperaturae, consuetudinis et virium conducat, ne per motiones nimias, fortes, diurnas, et insvetas, vires destruantur, nec tamen longiori, quam par est, quiete, humorum digestiones, depurationes et secre-tiones, ad vitam absolute necessariae, inhibeantur, et suf-focentur, nunc e sequentibus ulterius patebit.

CAP.

CAP. VI.

DE

SOMNI ET VIGILIARVM REGIMINE.

THES. I.

Quamvis adeo maxima motionum, ad vitam sanitatemque conservandam, sit utilitas, tamen, si diutius continuantur, aut mediocritatem excedunt, non minus, ac vigiliae nimiae, corpus nostrum debilitant, et sanitatem potius destruunt, quam conservant. Ea siquidem corporis nostri, post lapsum miserandum, est conditio, ut, nisi omnes humores in debita temperie, partes vero solidae in legitima textura, situ et connectione studiose conserventur, a quibuscunque iniuriis, imprimis excessu et defectu actionum ipsarum, facililime laedatur, et destruatur. Vigiliarum omnino, aequa somni, tanta est necessitas et utilitas, ut sine illis vita plane consistere nequeat: Vigiliarum tempore tantum appareat, an vere et perfecte vivamus, an sani, vel aegroti simus, quando sc. omnes functiones non solum vitales, sed etiam animales, rationalesque strenue et prompte peragimus; In somno autem, mortuorum instar prostrati, neque sentimus, neque cogitamus, ut non immerito mortis imago dicatur. Quoniam tamen per continuatas vigilias, aequa ac labores nimios, aura illa elastica, mediante qua omnes actiones vitales, animalesque, unice peraguntur, tandem dissolvitur et consumitur, ipsaque organa animalia languescent et flaccescunt, opus omnino erat, ut functiones, potissimum animales, per intervalla in somno remittant, et in tantum quietant, quoisque aura ista elastica, seu spiritus anima-

D 2

Somni et
vigiliarum
necessitas et
utilitas.

animalis, per labores et vigilias exhaustus, ex alimentis interea assumptis et digestis, restituatur et instauratur.

illorum re-
gimen ne-
cessarium.

THES. II. Utriusque tamen, et somni et vigiliarum, ratio est habenda, ut neque in quantitate, neque tempore et modo peccent, indeque sanitati plus noceant, quam profint: Restauratio et instauratio illa spirituum nullo siquidem alio remedio melius, quam mediante somno fieri poterat: Nullae hic sufficient epulæ, etiam si optimæ, nulla vina, licet generosissima, nulla commissatio vel compotatio, si somnus deficerit: *Somnus tranquillus est panacea optima, ad reparandas vires, fessaque membra levanda, maxime necessaria, qua nihil utilius, nimirum svarijs homini accidere potest.* Somnus enim naturalis et moderatus, non solum vires recreat, sed quoque nutrit et augmentat; motum sc. sanguinis et reliquorum moderando, caloremque praeter naturale temperando: Imo et dolores omnes mitigat, convulsiones, deliria aliaque mala tollit. Nihilosecius tamen non minus, ac vigiliae immoderatae, sanitati quam maxime nocet; Si enim modum exceedit, sensus omnes hebetat, imo mentis operationes debitas impedit, transpirationem necessariam turbat, catharris et morbis exinde oriundis quamplurimis sc. asthmatis, melancholiae, apoplexiae, aliisque occasionem et fomitem praebet.

Ratione
quantitatis.

THES. III. Communiter quidem somni tempus septem horis includitur, siccoribus tamen, et in specie senioribus etiam longius concedi potest, nisi contraindicantia, nempe indicia catharrorum, asthmatis, apoplexiae, aliorumque affectuum aliud svadeant: Quemadmodum etiam infantes et pueri, ob teneritatem corporis, ejusdemque augmentationem necessariam, largiori somno

mno opus habent: Aliis vero natura humidioribus, frigidis et phlegmaticis, indeque catharris obnoxii praestat, quando vigiliis et exercitiis corporis, quantum quidem vires eorum permittunt, magis indulgent, et somno breviori utuntur: *Somnus et vigiliae, si modum excederint, malum*, inquit Hippocrat. S. II. aph. 3.

THES. IV. Quod vero tempus somno destinandum attinet, procul dubio nocturnum, ratione et experientia svadente, optimum est: Tum temporis enim absente luce solari et strepitu, quiescentibus etiam et silentibus animalibus aliis, nihil est, quod sensus nostros afficere et movere possit; consequenter spiritus aereus elasticus, in cerebro et nervis undulans, eo facilius se contrahere, et ab expansione sua quodammodo remittere potest. Imo ipsa mens nostra, quiescentibus sensationibus externis, in se quasi recedit, dum nihil rerum externarum habet, de quibus cogitet, eoque ipso et corpus et anima eo meliori quiete fruuntur. Peccant ergo graviter, nec fructum egregium somni percipiunt, qui praeter necessitatem et contra naturae ordinem, diem in noctem, et hanc in diem mutant, neque somno neque vigiliis debitum tempus concedunt. Diximus autem; quando praeter necessitatem fit; alias nihil nocet, quando pueris et senibus, nec non aliis languidis, ubi imprimis nox inquieta antecessit, etiam somnus diurnus concedatur, imo commendetur.

TH. V. Modus porro dormiendi optimus consistit in decenti corporis decubitu, eoque in latus alterutrum, et contractis nonnihil cruribus; ita enim ventriculo et reliquis visceribus liberius spacium se extendendi et contrahendi, suasque digestiones eo melius perficiendi, conceditur. A decubitu in dorso diuturno viscera ista

D 3

non

non solum sua mole subsident, se libere movere nequeunt, sed etiam vasa premunt, et sic transitum sanguinis aliorumque succorum difficiliorem reddunt. Neque decubitus in faciem et ventrem commodus, multo minus tutus, sed morbosus est, utpote quo viscera plane extra situm suum naturalem dimoventur, nec functiones suas rite obire queunt.

Et loci.

THES. VII. Tandem locus dormitioni aptior non quidem adeo certus, ob vitae rationes admodum diversas, definiri potest: Nihilosecius tamen, quantum fieri potest, eligenda sunt loca praecaeteris aere puriori gaudentia, nullisque effluviis, imprimis aquosis, nebulosis, aliquisque malignis, referta: Sanitati ergo suae quam maxime nocent, qui in locis subterraneis, cellis et cavernis vigilant, et multo magis, qui in illis dormiunt. Novimus quamplurimos, qui, alias fani, vel solo hoc errore sibi valedutinem valde morbosam, imo apoplexiam et mortem subitaneam contraxerunt.

CAP. VII.

DE

ANIMI AFFECTIBVS RITE MODERANDIS.

THES. I.

Moderatio
affectuum
ad sanita-
tem conser-
vandam ma-
xime neces-
saria.

